



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

in ara crucis obtulit Deo Patri, Sanguinem suum fudit in pretium simul & lavacrum, & ut tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, Corpus suum in cibum, & Sanguinem in potum, sub specie panis & vini sumendum fidelibus dereliquit. Nullum ergo Sacrificium, nullum Sacramentum est illo salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur & mens omnium spiritualium carismatum abundantiam impinguatur, offertur in Ecclesiam pro vivis & mortuis, ut omnibus profit, quod est pro omnium salute institutum, suavitatem denique hujus Sacramenti, nullus dignè exprimere sufficit: per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur: & recolitur memoria illius, quam in sua Passione Christus monstravit excellentissimæ charitatis.

## §. VI.

**Q**Uæ cum ita sint, certissimum est quod sicut divinorum divinissimum opus Sacerdotum Christi JESU est quotidie in virtute Spiritus Sancti  
Imma-



Immaculatam hanc Agni Dei Hostiam  
 Divinæ Triadi, ut Apostoli fecerunt,  
 Deo, uni, trino, sacrificare: sic qui-  
 liber Christianus, hujus Divinæ par-  
 ticipationis capax, nihil potest, San-  
 ctissimæ Trinitati & JESU-CHRISTO  
 gloriosius, ac sibi ipsi salubrius facere,  
 quàm quotidie magno huic Sacrificio  
 novæ legis, eâ quâ par est fide, reve-  
 rentiâ, & pietate assistere, ac spiri-  
 tualiter simul & Sacramentaliter, ut  
 solebant primi illi Discipuli Christi,  
 communicare. Erant omnes, inquit,  
 Lucas Evangelista, perseverantes cum  
 MARIA Matre JESU, in oratione  
 Dei, in Doctrinâ Apostolorum, &  
 in fractione Panis: utique Panis illius  
 Eucharistici, Panis supersubstantialis,  
 qui dat vitam mundo, qui est ipsa  
 Christi Caro, ipsemet totus Christus  
 qui dedit semetipsum Discipulis suis in  
 Coenâ Eucharisticâ, dicens: Accipite &  
 manducate, hoc est Corpus meum, hoc  
 facite in meam commemorationem.  
 Verè immensa Dei beneficia exhibita  
 populo Christiano inæstimabilem ei  
 conferunt dignitatem. Habemus Al-  
 tare Divinum, Altare Eucharisticum,

E



in quo Corpus, & Sanguis Christi, totus Christus offertur, immolatur, & manducatur à fidelibus; de quo edere non valent, qui in Christo JESU non sunt renati per lavacrum regenerationis, & illuminationis. Infideles omnes arcendi sunt ab hoc Altari JESU-CHRISTI, & omnes qui licet confiteantur Christum, ore, factis iniquis, & criminibus ac impudiciis suis illum negantes, infidelibus ipsis deteriores sunt. Infelices omninò Pagani, Saraceni, Mahometani, Judæi increduli, & pertinaces Hæretici, ac Capharnaitæ omnes, qui in Christum non credunt, qui ab ipsâ sapientiâ Dei vivi, ab ipsâ Veritate increatâ & incarnatâ auditum avertentes, auctori & consummatori fidei non credunt; in quem omnis qui credit, sicut oportet, habet vitam æternam; & sine cujus fide impossibile est Deo placere, & æternam salutem consequi; cum non sit in alio aliquo salus. Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvôs fieri. Infelices etiam omnes illi Christiani, qui ab illo Altari Eucharistico, seipsos se-



parant, vel per effrenatam vivendi libidinem, vel per fluxam, & mollem animi in sola sensibilia prona, remissionem; vel per inanem mundi timorem; vel per inquietam & inexplibilem, auri, argenti & temporalium bonorum cupiditatem, radicem omnium malorum; vel per conscientiam anxiam & erroneam; vel per modicam, languidam, aut etiam dubiam fidem; in admirabile illud fidei mysterium, vel ob aliam quamcumque fallacem apparentiam, aut quamlibet excusationem ad excusandas excusationes in peccatis, quibus justam iram JESU CHRISTI provocant, & in seipos concitant, vocantem ad Sacram Cœnam contemnentem: digni omnino, qui in die judicii audiant terribile illud responsum, datum Virginibus fatuis: Amen dico vobis, nescio vos; justissime enim ab æterno Regis gloriæ convivio, cum infidelibus excludentur, qui ad Cœnam Eucharisticam, ab ipso met Christo institutam, & ab eodem toties vocati & compulsi, venire noluerunt. Avertat Deus optimus à fidelibus Adoratoribus Divini hujus Sa-



cramenti, in quo ipse autor, & consummator fidei Christus JESUS substantialiter continetur, tam grande malum: quin potius renovetur, & de die in diem magis accendatur, in cordibus Christianorum, ardens desiderium, sanctioris, & frequentioris communionis Eucharisticæ, quâ fides in Christum, spes, charitas, & omnes virtutes Christianæ augentur, roborantur & perficiuntur; quâ fideles à peccatis mortalibus præservantur; quâ in gratiâ Dei confirmantur, usque ad perfectum diem Gloriæ æternæ: In quâ facie ad faciem videbimus Divinitatem, & humanitatem JESU-CHRISTI, quem sub speciebus panis & vini in Eucharistiâ velatum, credimus, adoramus, realiter ac substantialiter immolamus, & manducamus ad fidei, gratiæ, & charitatis augmentum in animabus nostris.

## §. VII.

**A** Udiamus igitur, maternam Ecclesiæ Dei vivi adhortationem, quâ suos omnes filios verbis charitate